



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fidvcia, Cvris Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 4. Mannæ suauitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

*luncam quandam, intra quam aliquamdiu
quieuit. Et cum reficiendi corpusculi tempus &
necessitas adfuisset, per Dei nihilominus gratiã
nihil deerat eorum, quæ poscebat à Domino.
Quid iam volumus ampliùs? pascit suos
Deus; & nectare atque ambrosia pascit, si
necesse est. Quid alibi delicias quærimus?
quæramus ibi, vbi est torrens voluptatis. Vna
ex hoc torrente gutta, totis fluuijs Mundi
antecellit.*

§. IV.

Manne suauitas.

Sap. 16.
20.

De Israëlitis ait Scriptura: *Angelorum
esca nutriuisti populum tuum, & paratum pa-
nem de coelo prestitisti illis, sine labore, omne
delectamentum in se habentem, & omnis sapo-
ris suauitatem. Substantia enim tua dulcedi-
nem tuam, quam in filios habes, ostendebat: &
deseruiens vniuscuiusq; volũtati, ad quod quisq;
volebat, conuertebatur. Itaque manna illud,
mellis in aliorum palato, piperis in aliorũ,
in aliorum piscis, in aliorum carnis, in alio-
rum melopeponis, aut alterius suauissimi
fructus saporem efficiebat. Renouatum est
hoc miraculum non semel tantũ, apud
Christianos; Deo suis prouidente, & tan-
quam paruulis lac aut melimela dante.*

Nam

Nam pueris melimela damus ; & crustula ;
 elementa velint ut discere prima.

Horat. lib
 1. Sat. 5.

§. V.

Eremita, in miraculoso pane, suum meritum,
 & peccatum ostenditur.

Dulcissimi eiusmodi panis & accepti,
 & perdit meminit etiam, apud vetustissi-
 mum authorem Palladium, in Lausiaca,
 historia, Ioannes Thebaidis clarissimus il-
 lustrator; his verbis: *Fuit quidam mona-*
chus, (imitatione Christi, ad jeiunandum,
in desertum secedentis) qui in eremo hac, qua
præ ceteris interior est, habitabat. Hic dum plu-
res annos in abstinentia perdurasset, & prone-
ctus tempore, prope iam ad senilem venisset eta-
tem, omni virtutum flore adornatus, ac totius
continentia magnitudine sublimatus: cum ora-
tionibus & hymnis sedulo Deo serviret, tanquã
emerito militi suo Dominus remunerationes pa-
rat, utpote qui in corpore adhuc positus, ad in-
star Angelorum incorporea vite fungeretur of-
ficys, & dignum iudicans annonam cœlestem
præbere in deserto ei, qui cœlestem Regem perni-
gilibus præstolabatur excubijs. Quod & Chri-
sto factum est, cui, postquam 40. dies je-
iunavit, Angeli cibos, utique esurienti, mi-
nistraverunt. Volens ergo Deus, qui olim, in
 deserto

Pallad. c.
 46. & seq.
 in Lusiac.
 hist. qui
 vixit An.
 390. tem-
 pore S.
 Hierony-
 mi, quem
 etiam ci-
 tat Epi-
 phan. ep.
 ad Ioan.
 Hieroso-
 lymira-
 num.

Matth.
 4.

Q

deserto